

26.4.63  
Com. 26.V.

Ch. VI

J. Medina

GS/5A

DE PACE UT EST OPUS CARITATIS ET IUSTITIAE.

Proemium.

1) (Fraternitas universalis gentium). Sancta Synodus declarat Communitatem Internationalem populorum in fraternitate universali gentium fundatam esse; hanc vero fraternitatem per respectum ad unicum Patrem ~~inter gentes~~ <sup>et Christum principem</sup> pacis, intelligi debere. Quapropter huic unitati generis humani apte compositus ordo gentium populorumque correspondere debet, qui ordini morali, seu ordini hominis ad Deum, in omnibus subiiciatur.

A. DE PACE CONSTRUENDA.

2) (Communitatis internationalis fundamentum et finis). Communitatis internationalis est in pacifico consortio accessum omnium populorum ad ~~pat~~ patrimonium commune humanum promovere et totam virtualitatem naturae humanae, communis apud omnes homines, in concordia ac fructuosa cooperati\_ one actuare.

Ut communitas internationalis suum bonum commune attingere queat, iustam et adaequatam constitutionem duplicis ordinis exigit: ordinis \* interni communitatis nationalis, cum iusta agnitione iurium personalium ac socialium, et ordinis externi internationalis, cum iusta recognitione iurium inter nationes ac recta aestimatione valorum populis propriorum. Pax, seu ~~tran~~ tranquillitas ordinis, est opus utriusque ordinis, iustitiae nempe et caritatis quae actuandae sunt in omnibus gradibus consortii humani.

3. (De praecipuis personae humanae iuribus in Communitate Interna\_ tionali promovendis). Iuridica et socialis structura Communitatis inter\_ nationalis ita conformanda est et cum legitimo singularum communitatum politicarum ordine interno concilianda, ut in ea plenum exercitium humanae personae iurium tam in communitate internationali, ab omnibus agnoscat et sine ulla exceptione sexus, linguae, stirpis, necnon religionis servetur et promoveatur, quam in propria natione.

x + communitas politica.



4. (Praecipua<sup>a</sup> communitatum politicarum iura in communitate internationali). Ad rectam notionem communitatis nationalis eiusque muneris in communitate internationali pertinet ius ad aequaliter fruendum iure gentium ita ut unius voluntas vivendi nequeat praeiudicium inferre alteri, ius ad legitimum progressum et ad culturam propriam, ius habendi congruam partem bonorum omnibus hominibus destinatorum et adhibitis recentioribus inventis ad omnium prosperitatem pacemque fovendam necnon aptis remediis quibus causae famis in regionibus progredientibus tollantur. Propter exigentias ergo boni communis et istorum iurium servandorum limitetur et ordinetur exercitium potestatis (in<sup>a</sup>) ~~singuli~~ singulis communitatibus.

5. (Praecipua communitatum politicarum officia in communitate internationali). Ut singularum communitatum politicarum relationes in sinu communitatis internationalis bonum et progressum omnium efficaciter provehant et consequantur, necesse omnino est ut eae singulae agnoscant et observent iuris naturalis gentium principia, quae exigunt ut praecipua iura omnium gentium - minorum etiam partium ethnicarum - non laedantur immo promoveantur in iis quae spectant propriam culturam, linguam, integritatem et libertatem; ut leges de emigratione immigratione neque de iure uniuscuiusque ad sedem suam eligendam etiam extra propriam suam patriam plene ratione teneant et inter omnes communitates politicas activa firmiter instauretur cooperatio in re oeconomica et sociali, necnon in re politica.

6. (Cooperatio inter nationes progressas et progredientes).

Exoptat S. Synodus ut culturalis scientifica, technica, oeconomica et socialis cooperatio inter nationes, quae hodie in tantis campis viget de die in diem augeatur: quae cooperatio utique ut mutuum exercitium caritatis et iustitiae, in quo omnes sibi mutuo ad bonum conferunt, intelligenda est et nullo modo ut mera assistentia ab aliis, iam in omnibus provisus, ad alios omnino destitutos collata.

a) Valde cordi habeant gentes in statu progrediendi ut finis illius progressus expresse et firmiter tamquam plenitudo humana suorum incolarum adsignetur, hoc est ut progressus ille minime fini oeconomico li-



mitetur sed ad elevationem spiritualem, moralem, culturalem et socialem intendat. Meminerint progressum ex gente ipsa oriri et crescere, Eo amplius, quod non solis alienis opibus sed etiam cultura et traditione propriis innititur.

b) Gentibus magis progressis ut munus et officium solemniter adsignatur obligatio omnibus populis in muneribus supradictis adiuvandi, posthabito cuiuscumque generis dominandi consilio. Quapropter ipsae transformationes spirituales et materiales non recusent quae ad hoc perducant, cum caeteroquin haec universalis conspiratio in bonum omnium redundabit.

c) Communitatis internationalis est in coordinatione et stimulatione operis progressus cum prudentia, iustitia et respectu valorum spritualium et moralium procedere. Semper progressus hūmna ut finis totius progressus prae oculis habeatur et mediis de hoc plene rationem tenentibus usus fiat.

7. (De amore patriae). Laudandus est amor erga propriam gentem, culturam et patriam, Cum hic amor sit forma quaedam caritatis pietatisque filialis. Strenue tamen obsistatur particularismo et pernicioso nationalismo quae cum mutuam benevolentiam et debita officia erga nationum familiam respuat, dissolutionem communitatis internationalis promovet et efficit.

## PATRIMONIO UC

### B. De paceservanda.

8. (Conditiones essentialis pacis). Ut ordo internationalis constituendus in consortio pacifico omnium gentium semper in dies crescat, necesse est ut pax, in firma determinatione iurium singularum communitatum politicarum fundata, caritate fraterna qua sola defectus iustitiae humanae superari possunt, animetur ac ab organis communitatis internationalis efficaciter defendatur.

9. (Functio supplens Statuum ac ius legitimae defensionis). In quantum organa communitatis internationalis carent apta et efficaci potestate agendi, aut in exercitio proprii officii impediuntur, singulis Statibus competit ut debitis conditionibus muniti, in casu aggressionis iniustiae propria iura vitalia defendant.

10. (Vindicatio vi armorum ordinis laesi). Vis armorum ad restauran-



4,

dum vel defendendum ordinem ne adhibeatur nisi exhaustis omnibus mediis persuasionis ac monitionis, tractationis vel punitiois, quibus aggressores intra limites ordinis iuridici cohiberi possunt. Usus armorum, quorum effectus omnino incalculabiles sunt ac propterea ab homine rationabiliter temperari non possunt, excedit omnem iustam proportionem, ac proinde moraliter cohonestari nequit.

Propterea S. Synodus gravibus verbis ut damnum exitiale cunctae familiae humanae illatum denuntiat ac reprehendit effrenum illum cursum ad arma apparanda quae res veram pacem concordiam fiduciamque inter gentes laedit et prohibet, magnamque hominum partem et divitiarum in discrimen vitae et ruinae adducit. Civitatum moderatores necnon omnes qui in opinione publica influxum exercent intelligant grave suum officium esse, ut gentes ab hoc ruinae discrimine liberent per conventiones quae iustam pacem confirmant ac simul adlaborant ut ex animis deponantur hostilitates ~~in~~ odia timores vindictae, diffidentiae.

#### C. MISSIO ECCLESIAE ET CRISTIANORUM.

11. E (Missio Ecclesiae erga communitatem internationalem). Ecclesia in virtute suae missionis divinae praedicandi Evangelium omni creaturae et elargendi ~~inter~~ <sup>per</sup> thesauros supernae gratiae, pacem ubique terrarum diffundit ac unica solida fundamenta consortii pacifici populorum, ~~admiranda~~ agnitionem nempe legis divinae et naturalis omnibus docet. Quapropter respectu communitatis internationalis Ecclesia ut mater et magistra gentium excellentiorem locum habere et tenere debet, ita ut in tam arduis vicissitudinibus populorum hodiernorum et doctrina et operatione partes sibi a divino magistro confisas plene exercere valeat, et ita ad veram pacem aedificandam, praebeantibus luce veritatis et igne caritatis, praestantissimum iuvamen praebeat.

12. (De praesentia Ecclesiae et christianorum in institutionibus internationalibus). Ad favendam ergo et stimulandam cooperationem inter omnes homines bonae voluntatis et in sinu ipsarum institutionum internationalium adfirmetur et extendatur praesentia Ecclesiae tam per suas institutiones officiales, <sup>quam</sup> ~~et~~ per consociationes clericales, religiosas vel laicales, necnon per plenam cooperationem omnium illorum inceptorum quibus caritas catholica

*otras entidades animadas por xianos.*



nam a saeculis in tot et tantis nationibus impense operatur, in campis sanitatis educationis, formationis professionalis, culturae, sublevationis diversis inopiis etc.

13. (De partibus consociationum cristianorum in communitate internationali). Medio consociationum in campo mundiali fieri poterit ut conatus omnes necnon vires cristianae ad tale munus exercendum coordinentur et roborentur. Valde laudanda ergo illa tentamina sunt quae iam ab aliquot annis in campo internationali multos fructus afferunt. Illa tentamina non posse plene succedere nisi ad aliqua principia totus populus christianus revoletur. Optandum est ut talia instituta ope<sup>t</sup> generositatis omnium fidelium mediis adaequatis in tanto munere dotentur; cavendum in aliquot locis tales conatus parvipendantur vel alii suscitentur quae cum prioribus minime connectuntur; fidelibus suadetur eorum participationem hisce in consociationibus minime superfluum esse vel a proprio lubitu pendere sed e contrario illis pertinere quae essentialibus muneribus populi Dei totius sunt. In illis institutis provideatur ut homines bene apti et formati ad tale officium seligantur. Ad munus suum adimplendum ne recusent collaborationem fraternam cum illis hominibus bonae voluntatis qui principiis legis naturalis adhaerent et toto labore ut promoveantur, operam dent.

14. (De recursibus adsecurandis et colligendis). Christiani qui communitatum iam progressarum membra sunt, de responsabilitate sua erga gentes minus cultas certiores reddantur et de die in diem in illa convictione progredientur ut tam in decisionibus publicis, quam in inceptis privatis ~~omnia~~ omnem eorum influxum adhibeant ad hoc ut necessarii recursus libenter ad collaborationem universalem fovendam disponantur. Cum etiam hoc in campo valde necessarium est ut inceptis privatis iuxta principium subsidiariorum plenus locus detur, valde laudandus et omnino extendendae ad alias nationes sunt actiones illae quae ad pecuniam colligendam inter fideles unius nationis aliquibus locis iam existunt.

15. (De partibus Ecclesiae et cristianorum in opere educationis; prout hoc a cooperatione internationali dependet). In opere educationis et formationis praesertim gradus superioris et mediis tam liberalis quam technici, in quo gloriosa traditione Ecclesia pollet, omnis cura adhibeatur. Et valde optandum est ut universitates, gymnasia, scholae technicae ad reales necessi-



tates gentium omnino ordinentur, id est non imponentur curricula, quorum valor ex criteriis mere externis comprobatur; ad necessitates progressus technici et scientifici sedulo spectetur et etiam ad necessitatem classium operatorum qualifiicatorum efformandarum.

16. (De incremento populationis humanae deque exigentia huius problematis) Deus qua bonitate est et sapientia, pariter rerum naturae inexhaustam fere in sevit gignendi facultatem, pariter hominem tanta ingenii ditavit acie ut aptis instrumentis adhibitis is genitas res ad suae vitae usus necessitatesque vertere possit. Propterea dignitas et officium hominis est ut ~~maxime~~ naturae vires cognitatas penitus habeat, iisque dominetur in diesque latius atque ita necessitatibus populationis humanae semper ~~in~~ crescentis providere possit.

Quoad hoc incrementum (notandum est optimum numerum populationis humanae non e meris legibus physicis et biologicis dependere, sed ex consilio et moraliter recto exercitio muneris sui a parentibus, rationibus habitis non tantum de conceptione sed etiam de educatione prolis, et insuper de bono familiae et etiam de tota gente). Quae decisio ad solos parentes, iure divino, utique plene servato pertinet et sic eis a nulla auctoritate extranea imponi potest. Profitetur ergo S. Synodus nullam adesse potio<sup>rem</sup> solutionem ad problema demographicum, cuius momentum et gravitatem apud certas regiones orbis minime ignorat, solvendum, quam per meliorem progressum in educatione, necnon commoditatibus vitae sensui vero responsabilitatis et aequilibrii ortum et incrementum dare. ~~Ex~~ Solemniter contra illos tendentias monet, qui ad crism solvendam per diffusionem mechanicarum ~~at~~ <sup>at</sup> moralitate omnino neglecta valde imprudenter et non sine offensione legis naturalis incrementum populorum quorundam omnino impedire volunt. Valde timendum est quin ita populi se legi naturali incrementi prudenter stabiliti subtrahant et ad proptam senescentiam perveniant, non sine gravi damno pro illorum generali profectu in campis morali, culturali, sociali et oeconomico.

Omnes ergo qui in rebus politicis, oeconomicis et socialibus responsabilitatem habent, in cooperatione internationali intendere debent ad hoc ut periti homines seligantur et adiuventur quae curam habeant de quaestionibus quae ex difficultatibus scatent aequandi populationis numero possibilitates

*Notandum est numerum populationis humanae iuxta providentialem ordinem non e ludo merarum legum physiologicarum et biologicarum dependere, sed potius e recto iudicio morali parentum non tantum quoad conceptionem sed etiam quoad educationem et plenitudinem humanam prolis, ratione insuper habita de bono totius familiae et etiam gentis.*



communicandi in bonis quae terra et ingenium humanum omnibus praestare ~~vix~~  
valent.

CONCLUSIO.

Cum ordo internationalis est adhuc in via constitutionis ac ob condi-  
tionem praesentis vitae humanae incessanter inter graves difficultates  
periclitatur, christifideles, qui pacem ut quoddam supernum donum acceperunt  
cum omnibus hominibus bonae voluntatis impense ac incessanter operam  
dent ut hic ordo semper perfectio evadat et totus mundus in pace restauretur.

